

1743, 5
PERANTIQUÆ VNIVERSITATIS ERFORDIENSIS
R E C T O R

57 17
ET
FACVLTATIS IVRIDICÆ
D E C A N V S,
CONR. WILHELMVS
STRECKER, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS RE-
GIMINIS, FACVLTAI. IVRIDICÆ ET IVDICII
ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSESSOR SE-
NIOR, COD. PROF. PVBL. ORDINARIVS,
CIVITATIS SYNDICVS ET CONSVL
PRIMARIVS,

AD
AVDIENDAM LECTIONEM
CVRSORIAM

Ad L. Nuptiæ. 53. ff. de R. N.

ET
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
AD DIEM XX. JVLII M DCC XLIII.
LECTOREM BENEVOLVM
PERHVMANITER INVITAT.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII,
Acad. Typogr.

de iniusto saepe in noveras odio

27

RECTOR VNIuersitatis

DECAVS
CONR. WILHELMVS
STRECKER, ICM

LECTOR
AD PRAEFATIUM

AD PRAEFATIUM
CURSORIAM

AD PRAEFATIUM
DSSERTATIONEM

LECTORIAM

ne inuito lapsus in reuerentia obis





CRiminantur non pauci secundas Nuptias, criminantur Novercas; Viduus enim, ajunt, secundam ducens uxorem non amplius videtur esse suæ potestatis, se tanquam hominem liberum & sui potentem in voluntariam servitutem redigit, ex qua modo erat emancipatus, & sub imperio secunda uxoris servilem in modum se, suosque cruciandos tradit. Liberi prioris matrimonii, inquit, si viderint Novercam, vident & Vitricum, cum vitam suam novis nuptis facile abdicere solent mariti & parentes novercalibus delinimentis persuasi sinistrum quoque judicium circa sanguinem proprium ferunt L. 22. C. de administrat. tut. L. 4. ff. de inoffic. test. A paterna enim affectione novarum nuptiarum fucatis & simulatis persuasionibus facile parentes abducuntur, cum nihil sit, quod magis deprimat animum virilem, quam blandimenta Novercæ, quæ plerumque liberis inimica, ideo & Pater, qui cum ea versatur, talis præsumitur, de vestimentis, inquit Salomo, procedit tinca, & à muliere iniquitas viri, & ut naves putres procellæ & tempestates demergunt, sic improba Novercarum studia & affectiones imbecilles cohibitantium maritorum animos miserè submergunt, perdunt. Idem fere exclamant de Vitricis, eosque sub una serie, classe, eademque determinatione cum Novercis collocant, iisdem ferè vituperiis, quibus Novercas, macerant. Ast saniores mitius sentiunt de secundis nuptiis, expendunt plurima commoda à Novercis visui vitæ necessaria. Ex his enim non parva adjuncta viris vel inquietis vel fatigatis ad requiem, vel in secunda fortuna ad ampliosem fructum lætitiæ, cum habeant, quibus cum congaudeant, parantur, præsertim si quis justam,
X 2 piam

piam, modestam, pacificam & ad res domesticas attentam
nactus fuerit. Hæc constante priori matrimonio acquisita di-
ligentissime tuetur, habet maritus in miseris solatium, in
periculis adjumentum, utriusque fortunæ sociam, quæ cum
perinde ac se fovet, curat, liberosque in pietate coeducat,
privignos ad omnes actus virtutis deducit, nunc officium
patris, nunc matris supplendo, ut acquirat duplicem laudis
coronam. Non equidem negatur, Novercas magnam quan-
doque adferre incommodorum congeriem, experientia ad-
testatur, quæ efficax rerum magistra, sed nec illa incom-
moda, nec hæc experientia est perpetua. Experientiæ con-
trariæ testimonio probatur, secunda vota non rarò satis fe-
licia, quieta, fructifera, & salubria fuisse. Dolent non ra-
ro privigni impie, injustèque contristantur, quod, Nover-
ca liberos pariente, patrimonium diminuatur; sed hic dolor
lacrymæ & tristitia privignorum est quasi dolor & metus He-
rodis ob Christum natum; Signum invidiæ, qui alienis com-
modis invidet, ut propria promoveat; Intentio Patris vel
matris observanda, quæ non ad Novercam vel Vitricum so-
lum, sed ad liberos etiam fuit directæ, diminutio vero pa-
trimonii, si qua erit, & Dei providentiâ & curâ patris &
pûs precibus tum suspendi potest, tum prohiberi vel im-
pediri, benedicit enim Deus juxta numerositatem liberorum,
& quò plures sunt liberi, eò plures benedictiones. Con-
queruntur de durâ & injusta Noverca; quid si duri &
injusti sint privigni? Sic igitur dura duris, mala malis effi-
caciùs leniuntur, quæ enim privignis dura & mala viden-
tur, illis plerumque utilia sunt. Exclamant importunam,
odiosam & implacabilem Novercam; sed prosequatur nihil-
ominus filiali more & amore, veneretur decoro silentio,
tum obsequio, patientia, & humilitate optimè placabitur.
Torqueri se asserunt à Noverca Privigni? at misereantur il-
lius, cogitent minus mali esse, pati injuriam, quam inferre,
cogitent se inter tormenta natos, inter tormenta vivere, &
inter tormenta morituros esse. Petita quandoque non im-
petrant, repulsam patiuntur à Noverca; Verum quis est ho-
mo, qui, quicquid petat, habeat? hoc privignorum velle sa-
pius

pius est intoleranda superbia, & indigna petitio saepe præbet dignam repulsæ materiam. Decipit forte Noverca? quid mirandum, quis inter homines illæsus evadit? qui non vult decipi, moriatur aut fugiat hominum consortia, promptior & perfectior propterea sit privignorum cautela & vigilantia, ut ejusmodi dispendia & bonorum dilapidatio, submissis in silentio ad patrem precibus, avertantur. Silco alia innumera, quibus mactantur Novercæ, epitheta. Sed si res penitus inspiciatur, ejusmodi maledictiones nonnisi ab immorigeris sæpissimè & suspiciosi privignis originem ducunt, immemores sunt, quod Noverca in locum veræ matris sit surrogata & sit ejusdem juris & conditionis, cujus vera mater fuit. Hinc si & virtute & honestate eam colant privigni, honestatis vices eidem exhibeant, obediant ipsi in rebus honestis, inserviant ipsi, in quo possunt, officiosè eam tractent, assidue comitentur, hortanti faveant, iratæ non resistant, comminantem & perterrentem patienter sustineant, attemperent se ejus moribus, ac studiis servato semper amore filiali, non fastidiant in ea quicquam non verbis, non oculis, non gestu, nec ulla denique significatione, e contra si Novercæ privignos non secus ac proprios liberos ament, colant, adjuvent, paremque eorum curam gerant, exinde fluet mutuus Novercarum & Privignorum amor, exinde concordia, tranquillitas, felicitas, pax in domo patris, quæ pacis domesticæ bona ut & post dissolutum patris & Novercæ matrimonium perdurent, non negligant Parentes denuò nubentes saluberrimam constitutionem Electoralem Moguntinam, ante nuptias secundas specificationem bonorum maternorum vel respectivè paternorum edant, Curatores vel Tutores liberis prioris matrimonii constituent, inquirent hi cum proximis agnatis vel cognatis in defuncti vel defunctæ bona, & si quos inveniant, moneant defectus, & prævia accuratore inquisitione & si opus fuerit, jurata asseveratione hæreditas prædefuncti vel prædefunctæ, salvo patri vel matri usufructu, quoad liberos à se alimentandos, determinetur, quo facto & matrimonio secundo dissoluto, cessant rixæ, cessant contentiones ratione:

paternorum vel maternorum, sed determinata paterna vel
materna liberi prioris matrimonii præcipua habent: De hac
materia non minus, quam de gradibus consanguinitatis &
affinitatis occasione *L. 53. ff. de R. N. fufius difcurret*

NOBILIS ET CLARISSIMVS
DOMINVS

CASPARVS HENRICVS
RVDOLPHI,

Natus is die 10. Martii MDCCXVII. Patre JOHANNE
HENRICO RVDOLPHI, Ministro verbi Divini in Pago Salo-
monsborn & Rectore Scholæ ad St. Andream vigilantissimo,
qui obiit MDCCXXVII. Matrem in vivis adhuc veneratur
ANNAM ELISABETHAM RVDOLPHI, ex gente Juchiorum ori-
undam. Postquam sacri baptismatis fonte lavatus statim
suorum parentum votum eo destinatum fuit, ut tam in lit-
teris quam christiana doctrina profectus faceret, propterea
à patre in his fideliter eruditus & scholæ publicæ, cui is
præerat inscriptus, cum vero ad altiora accedere vellet
Gymnasio Senatorio Erfürthensi nomen dedit, ibique sub
fideli instructione Directoris & reliquorum Professorum ni-
mirum Dn. D. STIELERI, Dni Prof. & Pastoris TIEMRO-
THII, Dni Profess. & Pastoris LOZZENII, Dni Profess. Mag.
WEISSENBORNII & Dni Professoris & Diaconi Mag. TEN-
NEMANNI per quadriennium continuata tandem dignus ju-
dicatus fuit, ut Anno MDCCXXXII. ad lectiones acade-
micas admitteretur, postquam antea nempe MDCCXXVIII.
albo studiosorem sub Rectoratu quondam Reverendissimi
Dni Abbatis Petri inscriptus esset. Vita academica ince-
pta in Philosophicis & Gallicis audivit Virum Reverendum
Dn. Mag. BOHNIVM, Pastorem Nonarium & Philosoph. Fa-
cult. Aïess. & Profess. Extraord. itemque patris in Rectora-
ta successorum RVDIGERI Philosophiam & NEUPERI Gram-
maticam Gallicam explanantem, & cum his conjunxit le-
ctiones Geographicas & collegium Philosoph. disputator.
Dni

Dni Prof. Mag. MOTSCHMANNI, statim vero studio juris se applicuit, atque ex ore quondam celeberr. Prof. & Assessor Juridicae Facultatis Dni Dr. MEIERI & Consultissimi Dni Assessoris & Profess. SCHORCHII Institutiones Justinianicas doctentium se uberrimos fructus cepisse fatetur, insimulque lectiones Mathematicas Dni Mag. BOHNII Pastor. Elxlebenensis cum his conjunxit. Porro è re sua esse duxit lectionibus celeberrimorum exterorum Juris Doctorum interesse, propterea se Jenam contulit ibique Anno MDCCXXXIV. sub Pro-Rectoratu summe Reverendi Dni Dr. RVSS in album studiosorum relatus, primo lectiones Philosophicas Dni Adjuncti KOEHLERI frequentavit, deinde collegio privato Consultissimi Dni HEIMBYRGI in Institut. Heinecc. interfuit bisque repetiit, & cum his per annum conjunxit celeberrimi Dni Dr. & Consiliar. DIETMARI lectiones in Struvii Jurisprudentiam Roman. Germ. forens. itemque celeberr. Dni Dr. MOTERI praelect. in Lauterbachii compendium jur. hasque bis repetiit. In Jure Canonico audivit Dn. Dr. WAITZ, in Jure Feudali Dn. Dr. STENGER, in jure publico Consultissimum Dn. Assessor. Cur. Provinc. & Scabinat. Jenens. BVDERVM, tandem lectionibus academicis finem impositurus supra nominati Dni DIETMARI collegium practicum audivit, inque eo prima praxeos fundamenta jecit, cujus singulari & eruditam methodum Praxin docendi adhuc grata mente agnoscit. Tandem ad patrios lares reversus in mentem duxit, non sufficere meris theoreticis lectionibus operam dare, sed conjungendam cum theoria esse praxin, Consultissimo Dn. Dr. HEYLIGENSTADTIO sese commisit, per sexennium vices amanuensis sustinuit, seque ab illo in praxi erudiri curavit, & in elaborationem scriptorum judicialium, quae vocant producta laudabilem diligentiam impendit, quo factum ut pravia hac instructione ejusmodi celeberrimi Advocati & Practici, cui totam habilitatem causas in foro orandi adscribit, ab Illustrissimo Regime Erfurthensi in numerum Practicorum qua Procurator ordinarius Ao. MDCCXLI. gratiose relatus fuerit, & ab hoc tempore munus Patroni causarum gesserit. Tandem honores Academicos adspirans

litteris

literis Ordinem nostrum, ut ipsi textus ex utroque jure res-
solvendos communicarentur, & ad consuetum examen, ce-
teraque specimina edenda admitteretur, eâ, qua decet mo-
destia, compellavit, petitioni ejus Ordo noster annuit, com-
municatos textus ita resolvit, & ad quaestiones propositas
ita respondit, ut unanimi consensu Supremis jurium hono-
ribus dignus judicatus fuerit. Quare 20. Jul. ad d. L. 53. ff.
de R. N. lectionem cursoriam & ea absoluta, dissertationem
inauguralem

DE CON- ET DISCONVENIENTIA
JVRIS ROMANI ET STATVTARII
ERFVRTENSIS IN MATERIA SUC-
CESSIONIS CONJVGVM AB
INTESTATO

habebit. Quibus actibus solemnibus ut omnes & singuli
Proceres Universitatis & Cives academici frequentes inter-
esse velint, obnixè obtestor. Publ. sub Sigill. Facult. Jurid.
d. XIV. Julii MDCCXLIII.




ERfurt, Diss., 1742/44


ULB Halle 3
005 355 400



W078







1748, 5
17
PERANTIQVÆ VNIVERSITATIS ERFORDIENSIS
R E C T O R

ET
FACVLTATIS IVRIDICÆ
D E C A N V S,
CONR. WILHELMVS
STRECKER, J C T V S,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS RE-
GIMINIS, FACVLTAT. IVRIDICÆ ET IVDICII
ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSESSOR SE-
NIOR, COD. PROF. PVBL. ORDINARIVS,
CIVITATIS SYNDICVS ET CONSVL
PRIMARIVS,

AD
AVDIENDAM LECTIONEM
CVRSORIAM

Ad L. Nuptiæ. 53. ff. de R. N.

ET
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
AD DIEM XX. IVLII M DCC XLIII.
LECTOREM BENEVOLVM
PERHVMANITER INVITAT.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII,
Acad. Typogr.
de iniuncto facpe in novembris die